



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

V.4. Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala,
quoniam tu mecum es.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

V. 2. *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

Paraphrasis.

AD Baptismatis pœnitentiæ latices deduxit, Scripturam SS. divinæ suæ sapientiæ ac gratiæ rivis declaravit, ab omni via prava avertit, fecitque, ut anima conversa ad Deum fontem vivum spretâ aquâ turbidâ Ægypti anhelaret.

V. 3. *Deduxit me super semitas justitiæ propter nomen suum.*

Paraphrasis.

PAscuis uberrimis saginatum, & undis salutaribus potum per virtutum semitas modò ex hac, modò ex illa herbas ac flores virtutum decerpentem deduxit. Ut ex tanta erga immerentem beneficentia ejus gloria nomenque glorificetur.

V. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Paraphrasis.

Tanta erga me immerentem perspecta mihi probata beneficentia adeo timorem omnem ex animo meo depulit, ut in densissimis tenebris, dum languent, obscurantur oculi, in medio ululantium, mortemque intentantium luporum constitutus maneam intrepidus de tua unius mi JESU præsentia securus. Qui intactum, ne ab iis devorer, servare potes.